



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputatio XXIII. De Causa Finali, & Exemplari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

ritur, nam ad productionem lucis apertio fenestree est quasi dispositio, & conditio antecedens, quia lux nullo modo est causa apertionis fenestree; at vero respectu ingressus venti, apertio fenestree non est conditio antecedens, sed effectus, cum ventus per impulum occupando spatium, in quo erat fenestra, illam propellat loco; ac proinde est causa cur fenestra relinquit locum illum, & alium occupet per motum & impetum in ipsam a vento impressum.

VII.
Prius natura quis ingreditur domum aliquando, quam ostium aperiat.

Dices, ergo si quis eodem impetu aperiat ostium, & ingrediatur cubiculum, prius ingreditur, quam aperiat ostium, quod tamen videtur mirum. Distinguo consequens, prius tempore, nego consequentiam; prius ratione & natura, concedo; non prius tempore, nam eodem tempore quo ostium relinquit locum, homo eundem occupat, cum sit ostio immediatus, alioqui dabitur vacuum. Quod autem prius natura & ratione id fiat, nil aliud dicit quam motum illum, & ingressum hominis in locum ostij, esse causam cur ostium locum illum relinquat.

VIII.
Sufficit ut unum corpus eodem tempore locum relinquat, quo aliud ingreditur.

Instabis, non est aptus locus ille ut homo illum occupet, nisi prius deseratur ab ostio, cum simul in eodem loco esse non possint. Nego antecedens, sed sufficit simul deferi seu relinqui a corpore illo eodem tempore quo homo ingreditur, tunc enim nullum est impedimentum, & consequenter locus est aptus ad recipiendum hominem, vel aliud corpus, quod illo tempore succedit in locum ostij: si vero propellatur ostium ab homine ingrediente, tunc prius natura est ibi homo quam illud expellatur, hoc enim nihil aliud est quam dimoveri corpus illud per ingressum hominis, seu per motum ostio impressum.

IX.
Pro eodem signo rationis, quo calor est in subjecto non intelligitur frigus non esse.

Objicies secundò; pro illo priori intelligitur calor esse in subjecto, ergo intelligitur frigus non esse in subjecto. Distinguo consequens, non esse pro illo priori, nego consequentiam; pro aliquo posteriori, concedo: effectus enim non est pro eodem signo rationis cum causa, sed illa posterior. Instabis, pro illo priori non intelligitur expulsio, seu non esse frigoris, ergo pro illo priori intelligitur frigus, ergo simul in eodem subjecto intelligitur calor & frigus, ergo sunt ibi simul in gradibus repugnantibus. Resp. negando primam consequentiam, in illo enim priori nec intelligitur frigus, nec non frigus, sed habet se intellectus præcisivè circa tam frigus quam illius negationem pro illo priori. Quod evidens videtur in causâ liberâ, quoties se exercet, & actum liberum elicit.

Objicies tertio; agens fortius, ignis ex.g. subjecto alicui applicatus, etiam antequam quidquam in eo producat, petit ut Deus frigus conservare desinat, ergo destructio frigoris est natura prior inductione caloris. Resp. negando antecedens, agens siquidem non expellit frigus formaliter, sed solum efficienter, per calorem scilicet a se productum.

XI.
Agens solum efficienter expellit formam.

Objicies quarto; licet hæc forte probent de formis accidentalibus, formæ tamen substantiales non videntur destitui ad introductionem novæ formæ substantialis, sed antecedenter semper ad eam, ad destinationem scilicet dispositionum, ideo enim expellitur forma ligni, quia deficiunt dispositiones, ad eam conservandam sufficientes, harum autem destitio semper antecedit inductionem formæ novæ substantialis, ergo prius destruitur forma præcedens, quam nova inducatur.

XI.
Quo modo se habent pugna inter formas substantiales.

Resp. tamen probabiliter sustineri posse expulsionem prioris formæ substantialis sequi ad introductionem novæ: unde hoc modo statui possunt signa rationis. In primo signo ignis applicatur ligno: in secundo producantur dispositiones ad formam ignis: in tertio destruantur dispositiones ligni, & forma ignis introducit: in quarto demum destruitur forma ligni. Unde dispositiones formæ ignis ad hæc duo concomitanter determinant, nempe ad destructionem dispositionum ligni, & productionem formæ ignis. Si quis verò contendat, destructis dispositionibus ligni expellendam formam ligni, sive forma ignis producat, sive non; hoc ad summum probat concomitanter se habere expulsionem formæ ligni, & inductionem formæ ignis: quod est satis probabile.

XII.
Dicitur hic potest expulsio prioris formæ efficiat nova.

Quæres, in quo consistat hæc causalitas causæ formalis, respectu formæ corruptæ, caloris ex.g. respectu frigoris, quod expellit, aut formæ ignis respectu formæ ligni, ab illa expulsæ. Primò, certum videtur non esse solam unionem formæ cum subjecto, cum hæc per Divinam potentiam dari possit, sine expulsionem alterius formæ. Nec etiam consistit in unione caloris, & destructione frigoris, potest enim Deus, non ob calorem inductum, sed alias ob causas, frigus in his circumstantiis destruere; quo casu non expelleretur frigus propter calorem. Consistit ergo hæc secundaria causalitas, si sumatur adæquatè, in unione formæ cum subjecto, connotando voluntatem Dei volentis expulsionem frigoris propter existentiam caloris, jam subjectum informantis.

XIII.
In quo consistat causalitas formæ secundariæ.

DISPUTATIO XXIII.

De causa Finali, & exemplari.

SECTIO PRIMA.

Explicatur & dividitur causa Finalis.

I.
Quid sit causa finalis.

Aristoteles I. 2. phy. cap. 2. 3. & 7. & 2. Met. tex. 8. & alibi sæpè sic causam Finalem definit: *Finis est cuius gratiâ cetera fiunt.* Quam definitionem aliis verbis sic tradunt aliqui: *finis est propter quem consequendum aliquid fit.* Finis ergo est illud ob cuius amorem, & complacentiam movetur quis ad aliquid agendum, ut, ob sanitatem amarum sumit potiones amaras infirmus, uri se patitur secari &c. Ubi notandum, voluntatem amare sani-

tatem præcipuè & propter se, medicinam propter sanitatem; unde sanitas est objectum formale, medicinæ sunt objecta materialia, quia in illis non sistit voluntas, sed ulterius progreditur. Quod etiam contingit in aliis omnibus rebus. Idem tamen objectum potest simul nonnumquam amari ut medium & ut finis, si nimirum in ipso repræsententur duæ bonitates quasi disparatæ, ut si deambulatio aliqua ametur, & quia jucunda, sub quâ ratione est finis, & non ulterius ordinata, & quia utilis sanitati, ubi amatur ut medium. Idem est in portione aliqua seu medicinâ dulci.

Idem eodem actu amari potest ut medium, & ut finis.

Dividitur primò Finis in Finem cui, & finem qui. Finis cui est res illa vel persona, cui bonum amatur, ut Petrus est finis cui sanitatis, Finis qui, seu cuius gratiâ

Finis cui, est bonum illud quod per se amatur, & alia in ordine ad illius consecutionem, ut sanitas est finis cuius gratia respectu mediorum, quibus comparatur. Sanitas vero seu finis qui & cuius gratia est proprie finis, & non medium respectu finis cui, & constituit unum quasi finem adaequatum cum illo: quod enim plene & adaequate vult Petrus infirmus, est ut ipse sit sanus, sanitas autem non est medium respectu Petri. Licet ergo finis cui sit finis magis principalis, finis tamen qui seu cuius gratia non est medium respectu illius, sed habet in se bonitatem, ratione cuius immediatè convenit fini cui, media autem quæ talia, hoc non habent, sed solum remotè conveniunt fini cui, nec per se amabilia sunt, & propter se, sed solum in quantum sunt apta ad consequendum finem cuius gratia, qui secundum se immediatè est conveniens fini cui.

Finis qui, & cui intermedium. Finis qui est ipsa res quæ amatur fini cui, ut Deus est finis qui beatorum; finis quo est unio, vel possessio illius rei; ut visio beata, per quam possident Beati Deum, est finis quo, Deus finis qui, licet ex utroque simul integretur unus finis adaequatus.

III. Notandum verò, id quod est finis respectu unius, posse esse medium respectu alterius: sic fossionis finis est plantatio vitis, quæ tamen habet ulteriorem finem, nempe fructum. Unde plantatio illa non est proprie & simpliciter finis, sed simpliciter medium, nec enim amatur propter se, sed propter fructum, qui inde speratur. Finis autem ultimus rerum omnium est Deus.

IV. Tandem mihi non displicet quod affirmant aliqui media scilicet quæ talia, licet nullam habeant in se bonitatem absolutam, seu honestam, aut delectabilem habere tamen utilem, & respectivam, illamque non accipere à fine, sed sibi habere propriam, licet quæ talis bonitas est, essentialiter ordinetur ad finem, potio enim amara, rheubarbarum ex. g. in se intrinsecè vim habet purgandi choleram, licet hæc ipsa virtus ex se ordinetur ulterius ad finem, nempe sanitatem: & potio illa in tantum est appetibilis, in quantum juvat ad affectionem illam noxiam pellendam, & hominem ad æquale humorum temperamentum, in quo consistit sanitas, reducendum.

V. Media habent bonitatem usulam. Sanitas est æquale humorum temperamentum.

SECTIO II.

Quenam agentia agant propter finem.

I. Dico primò: Bruta, pueri, & amentes non agunt proprie, & formaliter propter finem, sed solum materialiter, & improprie. Ratio est, quia sufficientem notitiam non habent, ut discernant inter finem & medium, & unum iudicativè conferant cum alio, ac media appetant quæ media, seu ut apta ad talem finem, licet materialiter, & instinctu quodam naturæ media subinde proportionata ad rem aliquam perficiendam applicent: ut aranea tendit retia ad captandas muscas, hirundines nidos construunt ad excludendos pullos &c. quæ de causâ materialiter dicuntur agere propter finem, id est, faciunt materiam finis & mediorum, licet non perfecte conferant unum cum alio.

II. Existimo tamen cum S. Thoma 1. p. qu. 78. art. 4. corp. bruta, licet proprie non agant propter finem, operari tamen subinde ex apprehensione vel imaginatione utilitatis rei alicujus, quæ ad opus, quod agunt, conducit. Sic enim S. Thomas citatus, avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia utilis est ad nidificandum.

Dices; ergo utitur quodam discursu; cum sensu utilitatem illam non percipiat. Nego consequentiam, sed id cognoscit per actum imaginationis ex speciebus insensatis, ut aiunt, seu à sensibus exterioribus non collectis, provenientes, qui actus objecta sensibus perceptibilia representant.

Quod si quis quærat, unde Bruta has species habeant, cum ministerio sensuum non colligantur? Dico, cum species huiusmodi sint brutis ad vitam tuendam, & speciem propagandam necessariæ, in primâ eorum productione iis ab auctore naturæ infundi, id naturâ ipsorum, & bono universi exigente.

Ex quibus à fortiori deducitur, agentia naturalia, seu inanimata non agere propter finem proprie, cum nullam habeant cognitionem. Aliquo tamen modo dici possunt agere propter finem, hoc nimirum sensu, quatenus per potentias suas & inclinationes, seu pondus quoddam naturæ tendunt ad certos terminos, à naturâ constitutos; ut ignis ad suam sphaeram, terra ad centrum, &c. Cum verò dicitur, Opus naturæ est opus intelligentiæ, vel est sermo de naturâ naturante, nempe Deo, à quo omnia, dum fiunt, ordinantur ad finem; vel sensus est, ita omnia ordinatè & certis veluti legibus procedere in universo, quasi haberent intelligentiam, qua se in omnibus dirigerent.

Deus verò in operationibus ad extra, homines, & Angeli propriissime operantur propter finem, cum distinctè, & perfecte cognoscant convenientiam, ac proportionem mediorum ad finem, & medium quæ tale distinguant ac discernant à fine, illudque ad finem referant, quod est proprie ac formaliter operari propter finem. Actus autem ad intra in Deo, seu volitiones ejus liberæ non habent, nec habere possunt causam finalem. Ratio est, quia causa finalis est respectu illarum tantum rerum, quæ fiunt, cum causa finalis sit id, gratia cuius aliquid fit, sed volitiones divinæ non fiunt, cum nihil in Deo sit factum, ergo. Licet itaque divina bonitas dici possit finis actuum Dei ad intra, vel, ut loquitur S. Thomas 1. contra Gent. cap. 86. Ratio finalis illorum, causa tamen finalis dici nequit, cum causa distinctionem semper dicat ab illo, cuius est causa; unde etiam 1. par. quæst. 19. artic. 5. docet non dari causam divinæ voluntatis.

Dices; ergo nec Deus potest esse finis creaturarum, cum fieri non possit, finis autem fieri debet per media, cum tamen certum sit Deum esse creaturarum finem, juxta illud Proverb. 16. v. 4. universa propter semetipsum operatus est Dominus. Resp. negando consequentiam, ad rationem enim finis sufficit aliquid fieri propter ipsum, sive ipse finis fiat, sive non.

Infero tamen ulterius, operationum ejus ad extra dari proprie causam finalem, ad rationem enim causæ finalis non requiritur ut amor ipse finis causetur, amor enim in Deo, cum sit ipsa Divina volitio, fieri aut causari non potest, sed sufficit ad rationem causæ finalis, quod ab amore finis media causentur, ut hic contingit, cum Deus velit creaturas propter seipsum.

Tandem noto, quando ex. g. amicus præstat aliqua in gratiam amici qui proinde est illorum finis, illa tamen non habere proprie rationem mediorum, cum non ideo ab eo fiant, ut aliquid per ea consequatur. Quare non est de ratione omnis finis, ut semper obtineatur per ea, quæ fiunt propter illum, sed illud solum est verum in fine Qui, & quando ea quæ fiunt, sunt proprie media.

SECTIO

III. Nullo tamè sensu discursu.

IV. Unde habeant bruta species insensatas.

V. Inanimata non agunt propter finem.

Opus naturæ est opus intelligentiæ.

VI. Deus, Angeli, & homines propriissime operantur propter finem.

Divina bonitas est finis actuum Dei ad intra.

VII. Deus est finis creaturarum.

VIII. Operationes Dei ad extra dantur causa finis.

SECTIO III.

Alia quaedam ad perfectam cause finalis cognitionem spectantia.

I. *Nihil volitum, quin praeognitum.* Primum est, quomodo cognitio pertineat ad rationem finis? Primum, certum est requiri saltem ut conditionem, cum nihil volitum, quin praeognitum. Secundum dico, non ingredi tanquam quid attrahens ad se voluntatem, per modum objecti amati: hoc videtur evidens, nam cum quis amat sanitatem, non amat nec partialiter cognitionem, qua representatur, cum cognitio illa non cognoscatur. Tertium, actus quo infirmus amat sanitatem, est actus desiderij, sed non desiderat actum quo representatur sanitas, cum illum possideat, ergo actus representans sanitatem, non est objectum actus desiderij. Unde id quod finalizat, seu constituit rationem finis per modum objecti amati, est sola bonitas in objecto, sive illa vera sit, sive solum apparens. Utrum autem cognitio sit mera conditio, an ratio aliquo modo movens & impellens voluntatem ad amorem finis, multum habet de nomine, sed pendet a dicendis in libris de Anima, ubi hoc fufius disputabitur d. 27.

II. *Quinam sint effectus finis.* Secundum est, quinam sint effectus finis? sermo autem est tantum in creatis. Primum, ipse amor vel complacentia finis apprehens est effectus illius, nam bonitas in objecto movet voluntatem ad actum illum complacentiae eliciendum, licet dici non possit effectus finis amati, cum hic sit primus actus amoris, qui fertur in finem, & consequenter alium non supponit. Ex quo a fortiori deducitur, omnes alias actiones sequentes hanc complacentiam, esse effectus finis, ut sunt gaudium, & fructio de obtento fine, dolor & tristitia de non obtento &c. Propriissimus tamen effectus finis est electio mediolorum, si tamen electio haec distinguatur ab intentione finis de quo in libris de anima. Longe autem manifestius sunt effectus finis actiones externae, quas exercet quis, ut finem consequatur.

III. *Sitne finis causa realis.* Tertium est, sitne finis causa realis? Primum, entitativè sine dubio ex genere suo non est, cum finis communiter sit res non existens, dum intenditur, imò aliquando quid impossibile. Secundum, si sermo sit de causa physice influente, certum est finem non esse causam realem, cum res non existens, & praesertim impossibilis, influere physice, & realiter non possit. Solum ergo dici potest finis causa realis intentionalis, non physica, in quantum sc. per realem representationem movet voluntatem ad illius amorem, & prosecutionem, quod est realiter intentionaliter movere, non realiter physice. Sed quaestio ferme est de nomine. Licet autem Deus, qui est finis hominum, concurrat physice ad operationes virtutum, quibus sancti viri finem seu Deum consequuntur, non tamen concurrat ad illas ut causa finalis, sed ut efficiens.

IV. *In quo consistat causalitas finis.* Quartum, in quo consistat causalitas finis? Primum, non est ipsa sola entitas finis, esse enim potest entitas illa, & non finalizare, seu quidquam causare, aut etiam movere voluntatem. Nec est cognitio representans finem, nam potest representari finis per hanc cognitionem, & tamen non movere voluntatem efficaciter ad ponenda media in ordine ad illum consequendum. Nec etiam videtur sola actio physica agentis, cum haec esse possit, juxta probabilem sententiam, quamvis finis ille nullo modo in eam influat, ut cum quis ambulat propter sanitatem, continuare deambulationem eandem potest, etiamsi

non recordetur sanitatis, nec ob eum finem id faciat, imò licet actu reflexo nolit ambulare propter eum finem. Consistit ergo causalitas causae finalis in actione quidem productiva effectuum, sed suppositis talibus circumstantiis in agente, nempe cognitione & amore finis, ad hujusmodi actionem impellentibus.

Quintum, utrum voluntas appetere possit aliquid impossibile? Si representetur ut possibile, certum est posse, res enim non amantur vel appetuntur ut sunt, sed ut existimantur, cum potentiae appetitivae, utpote caecae, sequantur intentionales. Si vero impossibile representetur ut impossibile, tunc actu efficaci appeti non potest, potest tamen inefficaci, seu simplici complacentia. Primum constat, nam voluntas efficax alicujus rei est illa, qua vult quis aliquid consequi, sed judicium de impossibilitate tollit hoc motivum, cum judicet se hoc consequi non posse, seu, rem hanc omnino non posse obtineri, ergo non potest velle efficaciter illam consequi, sic enim vellet pugnancia. Secundum etiam constat, nam multi inefficaciter optant vitam amici mortui, & quidni etiam posset aliquis vanam quaedam complacentiam in volatu, & similibus delectari, & ea inefficaciter velle. Imò Scotus & Gabriel docent Luciferum, & Angelos malos habuisse de facto hujusmodi actus, quibus volebant se esse similes Deo, id est, appetebant aequalitatem cum divina essentia quam tamen sciebant sibi esse simpliciter impossibilem.

Dices, etiam efficaciter potest quis velle impossibile cognitum ut impossibile, actus enim contritionis est efficax circa peccatum praeteritum, quod sc. contritus vellet non fuisse. Respondetur, actum contritionis esse interpretativè tantum efficacem, id est, ita est animo affectus qui illum habet, ut si peccatum non esset perpetratum, illud nullo modo committeret. Praeterea actus contritionis est efficax in mediis adhibendis ad destruendum peccatum commissum, quatenus manet habitualiter, non tamen est efficax eo sensu, ut jam velit efficaciter actu non fuisse, seu ita ut adhibeat media, quibus conetur efficere ut peccatum illud nunquam fuerit commissum, hoc enim novit esse impossibile, nec id ullus sanae mentis attentaret.

Hic verò actus quo quis dicit, vellem esse arbor, aut aliquid hujusmodi, vel potest esse solum ex parte judicij, id est, ita ut quis judicet, si objectum illud esset possibile, se habiturum actum efficacem voluntatis, quo illud appeteret; vel potest esse ex parte voluntatis, quo quis simplice quodam affectu optat se esse arborem, non tamen efficaciter. In hoc tamen actu saltem implicitè affertur alius actus conditionatus efficax, quasi quis inefficaci quodam affectu diceret, volo esse arbor, & si hoc esset possibile, illud vellem efficaciter. Hac de causa finali in praesenti sufficiat; reliqua ad finem spectantia in libris de Anima discutiemus.

SECTIO IV.

Inquiruntur quaedam circa naturam causae Exemplaris, seu Idealis.

I. De causa exemplari eo pauciora nobis hic necesse erit tradere quo plura de illa in Logica, ubi de actu pratico & speculativo disputatum est, tradidimus. Qui plura cupit, habet quos consulat Conimb. c. 7. q. 3. Suar. in Met. d. 25. Rubium hic, & alios.

II. Aristoteles primo Met. c. 7. t. 32. sic exemplar definit. Exemplar est illud in quod operans inspicendo operatur.

cur. Quam definitionem alij sic explicant, exemplar est forma quam effectus imitatur, ex directione agentis sibi determinantis finem. Unde, quæ omnino cognitione carent, operari per exemplar non possunt, sicque flores, vel folia in eadem arbore, vel horto, licet crescant sibi simillima, sequæ perfectissimè referant, non tamen operantur per se invicem tanquam per exemplar. Bruta verò, sicut propriè non operantur propter finem, quia convenientiam inter media, & finem propriè non discernunt, nec illa quæ talia, ad finem quæ talem conferunt; sic ex defectu ejusdem cognitionis non operantur per exemplar, licet lato quodam modo per illud operari dici possint, ut cùm simiæ inspiciendo humanas actiones, illas imitantur, & ad amissum exprimunt.

repræsentante lineam, quam ducit.

Quæres an Deus operetur per exemplar? quod aliis verbis proponi solet, utrum in Deo sint Idææ? Resp. affirmativè: Deus enim, utpote artifex omnium peritissimus, res ipsas faciendas perfectissimè præconcepit, sibi quæ distinctissimæ repræsentat, earumquæ inspectione ad illarum productionem dirigitur: juxta illud Boëtij

— Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similiq, ab imagine formans.

Utrum autem exemplar sit actus ipse intellectus repræsentans objectum, an objectum ipsum repræsentatum, controversa est de modo loquendi, quam proinde miror nonnullos tam operosè discutere. Mihi congruentius, & ad exemplaris naturam accommodatius loqui videntur, qui objectum ipsum dicunt esse ipsum exemplar, hoc enim ostendit definitio exemplaris supra ab Aristotele posita, Exemplar est illud in quod operans inspiciendo operatur. Utrique tamen in suo genere convenit ratio exemplaris, unde cognitio exemplar formale dicitur, objectum exemplar objectivum.

Differt exemplar à fine, quòd finis moveat ad consecutionem sui, exemplar verò solum dat occasionem, ut aliquid ad imitationem ipsius fiat; unde tota causalitas exemplaris, seu actuum circa exemplar peragitur in solo intellectu, non in voluntate, quod tamen est maximè proprium finis, ut sc. moveat voluntatem ad amorem, & consecutionem sui.

Reliqua de causâ exemplari, nempe quomodo dirigat, & utrum efficienter concurrat, tractavimus in Logicâ, cùm de actu pratico & speculativo, & disp. ultimâ præcæmialî, utrum sc. Logica concurrat efficienter, an solum directivè ad actus aliarum scientiarum.

IV.

Deus operatur per exemplar.

V.

Objectum & actus illud repræsentans constans unum exemplar.

VI.

Quomodo exemplar differat à Fine.

VII.

III. In operante per exemplar quatuor reperitur.

VI. modo & carnis velit ad im-

VII. d dicitur. em. arbor.

DISPUTATIO XXIV.

De Causa efficiente.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit causa efficiens.

I. Sermo est de creatâ.

II. Negabant aliqui causas creatas quidquam agere.

III. Certum tamen est causas creatas

Sermo est de causâ efficiente creatâ, de Increata enim suppono pro præsentî dari, quod in Metaphysica d. 12. quæstione ad hanc ipsam rem peculiariter institutâ, ostendam. Quidam apud Albertum Magnum hic, tractatu 2. c. 3. & S. Thomam 1. p. q. 105. a. 5. corp. negarunt causas secundas quidquam omnino facere, sed solum Deum in præsentia ignis producere ignem, in præsentia caloris calorem, in præsentia solis lucem, & sic de cæteris: in rebus autem creatis nullam aiebant esse virtutem rei ullius effectricem. Quam sententiam, inquit Conimb. hic c. 7. q. 11. a. 1. ab inferis revocare velle videntur Aliacensis in 4. d. 1. q. 1. & Gab. d. 2. q. 1. & 3. Hujus opinionis meminit Averroës c. 9. Met. comm. 7. & c. 12. com. 18. ejusque assertores air debilis esse cerebri. Quam etiam sententiam hodie Philosophi omnes merito rejiciunt ut improbabilem.

Causas ergo secundas aliquid verè & physicè operari est manifestum: quia certum est liberum arbitrium aliquid operari, & actus producere. Quod, R. P. Th. Comptoni Philosophia.

præterquam quòd definitum sit à Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. ubi damnat erroris illos omnes qui dicunt liberum arbitrium nihil omnino agere, sed habere se passivè, & mortuo modo, probatur ulterius, quia alioquin homines nec peccarent, nec mererentur, sicut enim si Paulus aliquid laude dignum præstet in præsentia Petri. Petrus propterea non meretur laudem, ita nec si Deus opera illa producat in ejusdem præsentia. Deinde, ubique in Scripturâ ascribitur efficiencia rebus creatis: videte ficulneam & omnes arbores cùm producunt jam ex se fructum, Luc. 21. v. 29. lignumq, faciens fructum secundum speciem suam, Gen. 1. v. 12. & infinita hujusmodi.

Præterea, quando equus currit, quis dicit equum tunc nihil facere, sed Deum solum ad præsentiam equi motum illum producere? Imò, cur tanta quibusdam rebus datur membrorum, & organorum diversitas, nisi ut illis ad varias functiones utantur? Quare etiam non æquè producit Deus calorem ad præsentiam frigoris, atque ad præsentiam caloris? Dices; quia est major affinitas & similitudo inter calorem & calorem, quàm inter frigus & calorem. Contrà, cur ad præsentiam albedinis non producit albedinem: cur etiam non producit lucem ad præsentiam frigoris? cùm tanta sit similitudo inter frigus & lucem, atque inter lucem & calorem; aut cur

verè & physicè operatur.

IV.

Varia organa, ac dispositiones in viventibus arguunt eos verè agere.